



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 9. An necessarium ter effundere aquam super baptizandum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

habet communior usus) potest tamen fieri Baptismus per modum aspersionis vel etiam per modum effusionis , secundum illud Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam : Sicut Beatus Laurentius legitur baptizasse , cum ab eo in craticula superposito se baptizari sanctus Romanus petiisset. Et hoc precipue propter necessitatem ; vel quia est multitudo baptizandorum , ut patet. Actor. 2. ubi dicitur , Quod crediderunt unâ die tria millia & alie die quinque millia : quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aqua vel propter debilitatem ministri.

Tutius tamen est baptizare juxta usum communiter receptum in Ecclesia , qui tempore Divi Thomæ & antea erat per immersionem , nunc autem per infusionem aquæ super caput baptizandi , & hoc observandum est in praxi.

Quest. 9. Est-ne necessarium ad validitatem Baptismi ter effundere aquam super baptizandum ?

Resp. Sanctus Thomas sic respondet post Divum Gregorium relatum in Canone de trina. de Consecratione. dist. 4. quia de hac de re consultus fuerat à Leandro Episcopo in Hispania : Ad Baptismum per se requiritur ablutio aqua qua est de necessitate Sacramenti : modus autem abluitionis per accidens se habet ad Sacramentum ; & ideo , sicut ex predicta autoritate Gregorii patet , quantum est de se , utrumque licite fieri potest ; scilicet & semel & ter immergere : quia unica immersione significatur unitas mortis Christi , & unitas Deitatis : per trinam autem immersionem significatur triduum sepulturae Christi : & etiam Trinitas personarum. Sed diversis ex causis , secundum ordinationem Ecclesie , quandoque institutus est unus modus quandoque alius :

D. Th. 3. p.
q. 66. art. 8.
in corp.

De Sacram. Baptismi. Cap. II. 63

quia enim à principio nascentis Ecclesia quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem esse existimantes, nec dici filium Dei & Deum nisi propter meritum ejus quod præcipuè fuit in morte; ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & unâ immersione, quod reprobatur in primitiva Ecclesia: Unde in Canonibus Apostolorum, Can. 50. legitur: Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate (quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur; non enim nobis dicit Dominus: in morte mea baptizate; sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Postmodum verò inolevit quorundam schismaticorum & hæreticorum error, homines rebaptizantium: Sicut de Donatistis Augustinus narrat, super Joan. 11. & ideo in detestationem erroris eorum fuit statutum in Concilio Toletano 4. quod fieret una sola immersione, ubi sic legitur Can. 5. Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi immersionem. Sed cessante tali causâ communiter observatur in Baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesie non observans, nihilominus tamen esset Baptismus. Nunc autem loco trinæ immersionis, trina adhibetur effusio, juxta præscriptum Ritualis Romani.

Quæst. 10. In quam parte corporis fieri debet effusio aquæ, ad validitatem Baptismi?

Resp. Administrans Sacramentum ter aquam effundere debet super caput baptizandi ad modum Crucis, ut habetur in Rituali Romano. Unde sanctus Thomas ait: *Dicendum*